〃*hominibus armatis* pro aedibus *dispositis a republica remo-*
〃*tus sum et Cn. Pompeius obsessus est*" *cett.*

Ex improviso incidere in aliquem, vel *de improviso alicui vulnus inferre*, similia, recte dicuntur de iis, quae ita fiunt ut antea praevideri et caveri non potuerint. Idem tamen, ni fallor, non obtinet in his verbis Asconii p. 48: 〃Sed vide-
〃tur mihi loqui de eo die, quo, consulibus Domitio et Mes-
〃sala, qui praecesserant eum annum, cum haec oratio dicta
〃est, inter candidatorum Hypsaei et Milonis manus in via
〃sacra pugnatum est, multique ex Milonis (l. Milonianis)
〃*ex improviso* ceciderunt." Ad vestigia earum litterarum proxime accedit, quod legendum esse suspicor: 〃multique ex
〃Milonianis *eo in proelio* ceciderunt." Quae statim subiunguntur: *de cuius caede* corrupta sunt; quid vero Asconius dederit affirmare non audeo.

AD THEOCRITUM.

Fugit Criticorum oculos vetus mendum apud Theocritum Idyll. II. 6 in verbis:

οὐδὲ θύρας ἄραξεν ἀνάρσιος,

ubi melius singulari numero Poëta esset usus et ultima in *θύρας* Doriensium more correpta metrum vitiat. Itaque *οὐδὲ θύραν ἄραξεν* emendandum est. Recte et ordine singulari numero utitur poëta vs. 104:

ἄρτι θύρας ὑπὲρ οὐδὸν ἀμειβόμενον ποδὶ κούφῳ.

super limen *ianuae*, et vs. 127:

εἰ δ' ἄλλᾳ μ' ὠθεῖτε καὶ ἁ θύρα εἴχετο μοχλῷ.

Quamquam in Theocriti dictione negligentiore et vitiosa *θύρα* et *θύραι* confunduntur, quemadmodum turpiore etiam mendo

quas debebat *πύλας* appellare singulari numero *πύλαν* dicere non dubitavit II. 160:

αἰ δ' ἔτι κά με
λυπῇ, τὰν ἀΐδαο πύλαν ναὶ μοῖρας ἀραξεῖ.

ubi *τὰς ἀΐδαο πύλας* per metrum dare non licebat, quamquam veteres omnes summa constantia ex ipsa rei natura in hoc vocabulo pluralem numerum usurpant, ut in notissimo *ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν*, et in Theognideo:

φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι.

et apud Euripidem:

ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
λιπὼν, ἵν' Ἅιδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν.

Quoniam enim *αἱ πύλαι* erant *δικλίδες*, propterea necessarius erat pluralis usus, nisi ubi de altera tantum parte valvarum mentio fit, ut apud Herodotum III. 156, *ᾔιε ἐπὶ τὰς πύλας. — καὶ ὀλίγον τι παρακλίναντες τὴν ἑτέρην πύλην εἰρώτεον τίς εἴη.* Eadem est ratio in *θύρα* et *θύραι*. In aedibus sacris et in regia domo liminibusque potentiorum erant *θύραι δικλίδες*, unde usu receptum est dicere *πρὸ θυρῶν* et *θύρασι*, *θύραθεν*, *θύραζε* etiam de privatorum aedibus, in quibus *θύρα*, *κόπτειν τὴν θύραν* cet. tam necessarium est dicere atque *ἐπὶ ταῖς βασιλέως θύραις* aut *ἐπὶ τὰς τῶν Μουσῶν θύρας* res ipsa requirit. Qui Theocrito aequales et recentiore aetate laborioso artificio carmina pangebant nihil horum sentiebant aut magnopere curabant, itaque Theocritus *θύρας* pro *θύραν* dedit VI. 32:

αὐτὰρ ἐγὼ κλᾳξῶ θύρας ἔστε κ' ὀμόσσῃ.

Superest igitur metricum vitium in productione syllabae *ας*, quam Theocritus perpetuo corripit, ut in locis supra scriptis *ναὶ μοῖρας ἀραξεῖ*, et *κλᾳξῶ θύρας*. Eodem indicio deprehenditur scripturae labes V. 89:

βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα
τὰς αἶγας παρελᾶντα,

namque *τάς* h. l. non minus breve esse certum est atque III. 3:

Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, βόσκε τὰς αἶγας,

et superiore versu *καὶ ὁ Τίτυρος αὐτὰς ἐλαύνει.* Nullo negotio mendum elues scribendo:

τ ὰ ν ἀ γ έ λ α ν παρελᾶντα.

Theocrit. IV. 7:

καὶ πόκα τῆνος ἔλαιον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὀπώπει;

pro ὀπώπει requiritur perfectum Doricum et Ionicum ὄπωπεν, quod legitur et XXII. 55:

ἄνδρας ὁρῶ τοὺς μήποτ' ὄπωπα,

et Spartani apud Aristophanem in Lysistr. vs. 1157:

οὔπω γυναῖκ' ὄπωπα χαϊωτέραν.

et vs. 1225:

οὔπω τοιοῦτον συμπόσιον ὄπωπ' ἐγώ.

quae non potest non esse viri Lacedaemonii oratio, quoniam nemo Atheniensis pro ἑόρακα umquam ὄπωπα dicere potuit. Saepe apud Homerum legitur ὄπωπα, saepe apud Herodotum, sed ubique *perfecti* notionem habet, quamobrem rectissime apud Herodotum III. 37, ubi in libris est, ὃς δὲ τούτους μὴ ὀπώπεε ἐγὼ δέ οἱ σημανέω, Schaeferus perfectum ὄπωπε restituit. Sequiorum temporum poëtastri perfecto ὄπωπα imperfecti notionem subiecerunt et novam formam praesentis ὀπωπέω procuderunt, ut solent vetustas formas Epici sermonis magna licentia deformare. Perperam tamen creditur Euphorion apud Schol. ad Eurip. Phoen. 682 absurdum aoristum ὀπωπήσασθαι commentus esse de suo in his:

γαμετὴν ὅτε πρῶτον ὀπωπήσασθαι ἔμελλεν.

Dederat enim futurum ὀπωπήσεσθαι pro ὄψεσθαι, θεάσεσθαι. Plane abhorret a loci Theocritei sententia plusquamperfectum *quando viderat?* pro *vidit*, ubi eo audacius ὄπωπε restitues, quo saepius in talibus scribas videbis chorda oberrantes eadem. In eodem Idyllio IV. 40 male editur:

αἰαῖ τῶ σκληρῶ μάλα δαίμονος, ὅς με λελόγχει.

ubi et ratio et usus postulant ὅς με λέλογχε, quemadmodum Attici queri solent:

ὦ δαῖμον ὅς μ' εἴληχας ὡς πονηρὸς εἶ.

et:

οὕτω πονηρῷ συγκέκραμαι δαίμονι.

similiaque, in quibus omnibus ex ipsa rei natura *perfecto* utebantur. Recurrit vitium idem in Idyllio V. 28, ubi quaerenti:

τίς δὲ παρεύσας
αἰγὸς πρωτοτόκοιο κακὰν κύνα δῆλετ' ἀμέλγεν;

respondetur:

ὅςις νικασεῖν τὸν πλατίον ὡς τὺ πεποίθεις,

namque et tertia persona manifesto requiritur et perfectum πέποιθε, ὅςις —, ὡς τύ, πέποιθεν. Emendate scriptum est VII. 103:

Πὰν Μαλέας ἐρατὸν πέδον ὅςε λέλογχας.

Alio genere vitii infectus est locus X. 39:

ἦ καλὰς ἄμμι ποιῶν ἐλελήθη βῶκος ἀοιδάς.

nam soloeca oratio est ἄμμι ἐλελήθη. Restituenda est forma Dorica ἁμέ pro ἡμᾶς,

ἦ καλὰς ἁμὲ ποιῶν ἐλελήθη.

Passim in dialecto Dorica veteres formae ἁμές et ἁμέ, ὑμές et ὑμέ a scribis interpolatae sunt. Reponendum est II. 128:

παντῶς κα πελέκεις καὶ λαμπάδες ἦνθον ἐφ' ὑμέ,

pro ἐφ' ὑμέας. Similiter scribendum V. 61: ἀλλὰ τίς ἁμὲ (vulg. ἄμμε) τίς κρινεῖ; et V. 67: ἁμὲς (pro ἄμμες) γὰρ ἐρίσδομες, et V. 145: αὔριον ὑμὲ (non ὔμμε) πάσας ἐγὼ λουσῶ. Eodem modo passim ἁμῖν et ἁμίν, ὑμῖν et ὑμίν restituendum et ubi scribae Homerica ἄμμιν est ὔμμιν supposuerunt.

Perperam Meinekius edidit V. 23:

ὗς ποκ' Ἀθαναίαν ἔριν ἤρισεν.

et abutitur locis alienis ut demonstret ἐρίζειν τινά pro τινί recte dici. Quid sit emendandum docebit Theocritus ipse V. 135:

οὐ θεμιτόν, Λάκων, ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσδεν.

nempe, ὗς ποτ' Ἀθαναίαν ἔριν ἤρισεν. Cf. etiam VII. 41:

βάτραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω.

Cum iis quae praecedunt VII. 4, εἴ τι περ ἐσθλὸν πάων τῶν ἐπάνωθεν, comparavit Meinekius Theocriti Epigr. XVI. 4:

τῶν πρόσθ' εἴ τι περισσὸν ᾠδοποιῶν,

sed miror eum non vidisse alterum locum ex altero emendari oportere in hunc modum:

τῶν πρόσθ' εἴ τι περ ἐσθλὸν ᾠδοποιῶν.

Perpetuo in ea locutione περ additur, ut apud Atticos in ὅ τι περ ὄφελος, ὅ τι περ ἄνθος et sim.

C. G. Cobet.